UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput VIII. Objectiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81382

Visual Library

men principium supernaturale ipsam adjuvans, sivè illud sit intrinsecum, ut defacto contingit, sivè extrinsecum, ut Divinitus contingere potest.

CAPUT VIII.
Objectiones.

LXXV. OBjic: 1. Juxtà S. Thomam tota virtus proxima agendi visionem beatam est in lumine gloriæ. Item intellectus nequit elicere visionem eam sine lumine gloriæ instar habitus, vel dispositionis communicato, quod explicatur exemplo D: Pauli, qui miraculosè fuit evectus ad visionem beatam per lumen gloriæ transeunter communicatum. Quod attinet ad mentem S. Thomæ satis constat ex dictis initio capitis antecedentis, illam fuisse ambiguam hac super re, licet scribat Capreolus S. Doctorem retractasse in summa Theologica sententiam, quam docuerat in quar-
Durandus, in 4. q. 2. tum, non ità Durandus, qui sic absolutè scribit. *De possibili tenet Fr. Th. l. 4. qu: 45. quod beata visio possit communicari homini existenti in puris dispositionibus viæ, & ità non habenti lumen gloriæ*; Sed quidquid de hoc sit, licet prima ista propositio foret vera, non officeret nobis; nam modo sufficit intellectum elicere visionem absquè lumine sibi intrinseco; at licet tota virtus foret in lumine, poterat hoc adjuvare potentiam, cui purè assisteret, eo quod Deus miraculosè conservaret lumen absquè unione cum ea potentia sicut naturaliter etiam contingit, quod unus homo absquè unione physica sui cum altero eum adjuvet ad multa, quæ ille alter nequit se solo efficere: Ergo, &c.

LXXVI. Ad secundam &c: Visionem communicatam D. Paulo, si fortè communicata fuit, fuisse miraculosam, quoad unum, & non quoad aliud. Fuit miraculosa, quatenus viatori donatum fuit, licet transeunter, lumen gloriæ: Non fuit miraculosa, quatenus elicita absquè principio supernaturali; nam juxtà ipsum D. Thomam adstitit ejusmodi principium. Et hinc repellitur instantia eorundem Doctorum recentiorum ajentium, visionem claram DEI communicari transeunter, esse miraculum: Ergò intellectum elevàri ad illam per qualitatem transeuntem est miraculum etiam quoad modum; Ergò adhuc in casu miraculoso nequit dari visio DEI absquè lumine transeunter saltem communicato. Hoc nego, quia licet in casu miraculoso quoad unum, & connaturali quoad aliud, qualis est iste transeuntis communicationis, nequeat non dari principium supernaturale intrinsecum, non tamen in casu supernaturali quoad utrumque, quia non depromes duo contradictoria, ex eo, quod principium istud supernaturale sit transiens, & non unitum intrinsecè potentiæ naturali.

LXXVII. Ob: secundò. Implicat potentiam naturalem elicere actum supernaturalem, nisi illum in se contineat in actu primo; sed hæc implicat absquè forma creata potentiam elevante. Prob. Potentia naturalis ratione sui non præcontinet actum supernaturalem; nam ut illum præcontineat intrinsecè, debet intrinsecè immutari per aliquam formam creatam: Nam transitus de contradictorio in contradictorium per denominationem intrinsecam implicat absquè intrinseca mutatione & consequenter absquè forma intrinseca. Mirum est, quod hinc & hinc toties extollatur argumentum hoc; sed meminisse debes illius, qui dixit. *Haud secus assiduis hinc, atquè hinc vocibus heros tunditur*; sed mens immota manet. In primis hoc argumentum æquivocatione laborat illius termini *præcontinet*, quam æquivocationem jam supra aperui: Deindè procedit contrà præsentis quæstionis suppositum; nam, ut monui, supponitur in præsenti, potentiam naturalem gaudere virtute aliqua partiali propria ad actum supernaturalem: Si enim nulla penitus hujusmodi virtute polleret, illicò diceremus incapacem esse, quæ adjuveretur principio extrinsecè assistente, immo, & intrinsecè unito, quemadmodum lapis, quippè qui omninò est incapax videndi DEUM, adjuvari nequit ad hanc visionem per lumen gloriæ sibi intrinsecè, assistens, aut etiam intrinsecè unitum: Communis ergo solutio his, vel illis verbis data est, dist. maj: Nisi illud præcontineat continentia adæ-

adæquata, & totali, nego; inadæquata saltem, & partiali concedo: & dist: mi: Hæc continentia adæquata implicat absquè formâ, &c. Concedo. Continentia inadæquata nego min: & dist: Similiter probationem: Non præcontinet continentia adæquata actum supernaturalem concedo; inadæquata nego, & similiter ad reliqua.

LXXVIII. Esto, non posse dari mutationem intrinsecam ab uno in alterum contradictorium absquè forma intrinseca, quod non est universaliter verum, v.g. quando mutatio est à forma intrinseca positiva ad ejusdem carentiam. Cæterum in re præsenti non datur mutatio ista, quoniam vel loqueris de continentia intrinseca adæquata, vel de inadæquata; Si de prima supponis falsum, quiâ potentia naturalis ut eliciat actum supernaturalem non postulat continere ipsum continentia adæquata. Si de secunda datur illa, tametsi comprincipium supernaturale sit purè assistens nam illa penitus identificatur cum potentia ipsa naturali; quare est summè intrinseca illi; sed instat: Si potentia naturalis ratione sui contineret inadæquatè actum supernaturalem, non indigeret principio elevante, ut eum eliceret, quia non indigeret illo ad continentiam inadæquatam, quam idem ex suis intrinsecis habet; non ad continentiam adæquatam, seù principalem, siquidem nulla potentia naturalis, seù instrumentalis habet hujusmodi continentiam: Ergo ad nihil indigeret comprincipio supernaturali. Conf. duplici exemplo: quia natura ratione sui præcontinet formas supernaturales instar potentiæ passivæ, non indiget forma elevante, ut ipsas recipiat: Item quia Sacramenta in genere causæ instrumentalis obedientialis præcontinent effecta Sacramentalia, non indigent forma intrinseca elevante adhuc de lege ordinaria; Ergò si potentia naturalis ratione sui præcontinet actum supernaturalem adhuc de lege ordinaria non eget principio supernaturali elevante. Nego instantiam, & probationis consequentiam, quia de unaquaque causa, seù virtute partiali formare poteras idem argumentum. Item influere in effectum est aliquid distinctum à virtute adæquata, & inadæquata, principali, & instrumentali; ergo datur locus, ut potentia naturalis ad neutram egeat comprincipio supernaturali elevante, & tamen eo indigeat *ad actu influendum*. Duo ista exempla non benè ingeruntur, quoniam natura est causa passiva adæquata actuum supernaturalium. Sacramenta similiter sunt causa efficiens instrumentalis adæquata in hac linea. Potentia verò naturalis non est causa efficiens adæquata actus supernaturalis: Quid ergò mirum, quod illis non indigentibus, hæc indigeat comprincipio supernaturali.

LXXIX. Instat secundò. Implicat potentiam naturalem elicere actum supernaturalem, quin causet ipsum, non tantum, ut vitalem, verum etiam, ut supernaturalem; ergò quin ipsum præcontineat, ut supernaturalem; sed si præcontinet illum, ut vitalem, & supernaturalem, esset causa secunda totalis ejusdem, sicut est causa totalis intellectionis naturalis, quia sub omni conceptu eam conrinet: Ergò potentia naturalis esset causa totalis actus supernaturalis. Explicatur. Licet calor, ut quatuor partialiter contineat calorem, ut octo, quatenus continet quatuor gradus caloris; quia tamen non continet alios quatuor, implicat effectivè causare calorem ut octo, quin prius intrinsecè intendatur ut octo: Ergò quamvis demus potentiam naturalem ratione sui continere vitalitatem actus supernaturalis, quiâ tamen in se non præcontinet supernaturalitatem illius, implicat, quod illum causet, ut supernaturalem, quin perficiatur intrinsecè per formam supernaturalem, ratione cujus contineat illam supernaturalitatem. Disting: ant: instantiam, quin *ipsa sola* causet illum, ut vitalem, & supernaturalem nego; quin ipsa *simul cum alio comprincipio* causet eum, ut vitalem, & supernaturalem concedo: & distinguo cons: quin ipsum præcontineat *sola*, ut supernaturalem nego, non sola, sed *simul cum alio* concedo: & distinguo similiter subjunctam, si ipsa *sola* præcontinet actum, ut vitalem, & supernaturalem est causa adæquata concedo (& hæc est germana ratio, ob quam intellectus est causa adæquata intellectionis

nis naturalis, quia ille *solus* solitudine excludente juvamen supernaturale potest producere illam) si ipsa non sola, sed *simul cum juvamine supernaturali* præcontineat actum, ut vitalem, & supernaturalem, nego minorem, & consequentiam. Moniti sæpè Authores hi, ne intelligant inadæquationem, aut partialitatem effectus, sed virtutis, ac causæ, illam semper respuunt. Cum attributa uniuscujusquè rei mutuò identificentur, & identitas realis creata non sit sicut Divina, quæ distinctionem virtualem admittit, idcircò potentiam naturalem esse causam partialem, seù virtutem ad actum supernaturalem non consistit in eo, quod in sensu reali, quidquid sit de mentalibus præcisionibus (juxtà quas non disputatur res præsens, & quæ ad solos Logicos spectant) præcontineat eum, ut vitalem, & non, ut supernaturalem, quoniam in sensu reali continet utrumvis attributum, non quidem ipsa potentia naturalis sola, sed simul cum principio supernaturali, ut contingit omnibus causis, seu virtutibus efficientibus purè inadæquatis, quas omnes impugnant argumenta ista: Hæc est inadæquatio, seù partialitas, quam toties inculcamus in hac re, quamquè adversarii agnoscere videntur, sed illico detorquent argumenta ad aliam partialitatem, nempè influxûs, seù effectûs, quæ nobis non venit in mentem, vel ad quasdam reduplicationes, & præcisiones, quæ sunt prorsus impertinentes, quando disputatur res in se ipsa, & coram Deo, non autem coram Logicis: Idem responsum explicatur. Si calor, ut quatuor *solus* producturus esset calorem, ut octo, debuerat mutari, & intrinsecè intendi; secus si *non solus*, sed simul cum aliis principiis sufficientibus, quia causa, & virtus efficiens merè partialis non est necesse, quod intrinseca perfectione sit par effectui.

LXXX. Ob: secundò. Auxilium extrinsecum ponitur à nobis in voluntate Dei concurrendi ad actum supernaturalem simul cum potentia naturali (id subito nego, quiâ habitus charitatis, lumen gloriæ, & hujusmodi alia purè assistentia, & minimè unita animæ, ut divinitùs contingere potest, sunt etiam auxilium extrinsecum. Deindè dinoncimus, quamlibet voluntatem DEI esse auxilium extrinsecum in præsent a rum, sed talem determinatè, nimirium voluntatem concurrendi cum potentia naturali *sine adjutorio alius principii supernatulis creati*) sed per hanc solam voluntatem extrinsecam, deficiente form a intrinsecâ, nequit potentia naturalis reddi potens ad actum supernaturalem. Probatur primo. Simultaneus concursus DEI cum potentia naturali non dat vires huic, sed eas supponit, ergo *volun*tas DEI concurrendi simul cum illa ad actum supernaturalem, vires illi non *præbet*, & consequenter illa æquè impotens manebit, ac erat. Nego cons: quiâ ille concursus utpotè identificatus cum actione ipsa creaturæ nascitur ab ipsa simul, & indivisibiliter à DEO; Undè non dat, sed supponit vires in creatura. Voluntas autem dicta, non est effectus creaturæ: Ergo licet ille concursus non det vires creaturæ, voluntas ista divina, nisi aliundè impediatur, potest dare ei vires; non quidem intrinsecas, sed extrinsecas, id est potest facere, quod Omnipotentia sola adjuvet creaturam, & quidem multò melius, quam quodvis aliud adjutorium creatum. Probatur secundo ab Adversariis illa sua minor. Implicat potentiam naturalem esse potentem ad actum supernaturalem, quin Deo subordinetur, ut authori supernaturali; sed non subordinatur per voluntatem dictam; Ergò per illam non est potens.

LXXXI. En simile argumentum. Implicat ignem esse proximè potentem ad comburendum, quin detur decretum applicativum Omnipotentiæ eum coadjuvantis; sed per suam intrinsecam virtutem non habet hoc decretum: Ergò per suam intrinsecam virtutem non constituitur proximè potens ad comburendum: Mala utráque consequentia, quiâ necesse non est, quod unumquodque constitutivum proximæ potestatis trahat secum identicè, aut connexivè quidquid necessàrium est ad proximam potestatem; aliàs materia prima, quæ sinè dubio constituit hominem, traheret secum utrolibet modo animam rationalem, sine qua impossibile est, existere homi-

hominem. Distinguo igitur istam majorem: Quin Deo subordinetur, ut authori supernaturali quoad actualem influxum, plenámque potestatem ad actum supernaturalem, concedo majorem: Quoad puram suam existentiam in rebus, virtutemquè incompletam, & partialem ad actum partialem: nego majorem, & distinguo min: Per istam voluntatem non subordinatur, ut authori supernaturali quoad influxum, plenámque potestatem nego; quoad puram existentiam in rebus, virtutemque incompletam concedo min: Tria hic distinguenda sunt; Existentia, virtusquè partialis potentiæ naturalis ad actum supernaturalem. Virtus proxima plena, & sufficiens. Actualis demum influxus in actum supernaturalem. Potentia naturalis subordinatur quoad hæc duo Deo, ut authori supernaturali, quiâ in utroquè pendet intimè à Deo, ut dante virtutem illam plenam, coadjuvantemquè in actu secundo, & utrumvis est absolutè, & simpliciter supernaturale. Verumtamen necesse non est subordinari Deo, ut authori supernaturali quoad illud primum; immo nec est possibile, quia ubi nihil datur entitativè supernaturale, nequit dari subordinatio DEO, ut authori supernaturali; at in existentia potentiæ naturalis cum virtute partiali ad actum supernaturalem, nihil datur entitativè supernaturale, siquidem virtus hæc, utpotè per se solam insufficiens ad actum supernaturalem est in se ipsa naturalis, & nequè cum illo connectitur, nequè illum exigit, nequè ad illum est sufficiens: Ergo, &c.

LXXXII. Tertiò. Impotentia intellectus respectu visionis beatificæ est impotentia intrinseca; potentia, quam debet habere ad illam visionem, est intrinseca: quiâ debet esse potentia agentis vitalis, & consequenter operantis ab intrinseco: Ergo implicat potentiam constitui potentem per voluntatem extrinsecam DEI. Ad hoc argumentum jam supra insinuatum, distinguo secundam partem antecedentis: potentia *inadæquata*, & partialis debet esse intrinseca concedo, propter rationem primam conclusionis suprà datam; *adæquata*, & totalis nego antecedens quoad secundam partem. Ratio est, quia intrinseceitas, quam exigit operatio vitalis, & voluntaria non consistit in eo, quod omnia prorsus principia illius sint homini intrinseca, ut disput. 1. de Anima notavi, ex eo quod Omnipotentia & Decretum hujus applicativum sint principia indispensabiliter prærequisita ad omnem nostram operationem vitalem, & voluntariam, & tamen neutrum est nobis intrinsecum per identitatem, aut unionem: stat ergò in eo, quod principium illud, quod est, atquè denominatur *vivens*, *volens*, aut *intelligens* sit intrinsecum homini; data autem hac intrinseceitate cum cæteris requisitis operatio erit vitalis, & voluntaria, quodsi talis non fuerit, id non proveniet ex defectu intrinseceitatis, sed aliùs conditionis.

LXXXIII. Ut cætera solvas, advertе: Indigentia principii supernaturalis, quam juxtà legem ordinariam habet potentia naturalis ad eliciendum actum supernaturalem, non est, ut hæc potentia polleat virtute inadæquatâ ad eum, (quia per suammet essentiam fungitur hac virtute) non item, ut illo præsente polleat virtute absoluta, & simpliciter totali, quia adhuc posito eo principio intrinsece supernaturali eget potentia naturalis decreto applicativo Omnipotentiæ, cujus actualis consursus universè desideratur ad quamcumquè operationem creatam, ad conspectum etiam cujusvis principii supernaturalis: quocirca potentia naturalis habet virtutem incompletam ad actum supernaturalem, & etiam ad naturalem; sed æquivocè, ad *hunc* incompletam non in ratione virtutis creatæ; sed virtutis absolutè, & simpliciter sufficientis; ad *illum* autem incompletam in ratione utravis; indiget ergò potentia naturalis juxtà legem ordinariam principio intrinseco supernaturali, ut connaturalius eliciat actum supernaturalem, nempè habendo virtutem intrinsecam, & permanentem ad illum; sicut enim Omnipotentia non adjuvat se sola causas naturales ad effectus naturales, quamvis posset; sed indidit illis intrinsecas virtutes ad eas operationes, ità lex ordinaria est, quod non adjuvet se sola intellectum, v.g. ad visionem beatificam, quamvis posset; sine

sine ulla difficultate, sed intellectui largiatur comprincipium supernaturale creatum, quod vocatur lumen gloriæ, ut intellectus habeat virtututem permanentem, & intrinsecam per unionem, ad producendum illam visionem. Hoc autem non tollit, quòd ob universales alias rationes influendi immediatè in quemcumque effectum creatum, requiratur insuper decretum applicativum Omnipotentiæ, sicut ultra quamcumque virtutem creatam naturalem desideratur decretum applicativum Omnipotentiæ.

LXXXIV. Hinc primò. Sicut casu, quo DEUS vellet concurrere cum igne A, divinitus privato omni calore, ad ignem B producendum, non daretur sola voluntas generalis, quæ modò datur, sed alia specialis, nempè, qua DEUS vellet adjuvare ignem *A sine ullo calore* ipsi inhærente ad producendum ignem *B*: ita casu, quo DEUS suppleret absentiam comprincipii supernaturalis creati, non daretur sola voluntas generalis, quæ modò datur; sed specialis alia, qua DEUS vellet per semetipsum adjuvare sine interventu illius comprincipii creati intellectum v. g. ad producendum visionem beatificam.

LXXXV. Hinc secundò impotentia, quam ratione sui habet intellectus ad visionem beatificam, est, ut se *solo* illam producat: Et hæc impotentia, utpotè intellectui omninò essentialis, nec principio intrinseco supernaturali, neque extrinseco, nec ullo modo possibili tollitur: Sicut nec impotentia, quam habet homo, ut sit animal latrabile: Ad producendum autem illam simul cum adjutorio supernaturali habet, & non habet impotentiam ratione sui; sed aliter, & aliter habet connaturaliter, connaturalitate innuente non ipsum intellectum; sed innuente adjutorium entitativè creatum, si hoc adjutorium non sit intrinsecè sibi unitum, quiâ connaturalis modus operandi actiones vitales, tum naturales, tum supernaturales est habendi per identitatem, vel per unionem virtutem adæquatam in ratione causæ creatæ. Non habet absolutè, & simpliciter, quoniam absolutè, & simpliciter est potens producere eam visionem, modò adsit principium elevans sive intrinsecum, sivè extrinsecum. Certum namquè est, Omnipotentiam multò melius posse adjuvare intellectum, quam quodvis principium creatum supernaturale: & certum insuper est, Omnipotentiam non esse principium intrinsecum nostro intellectui.

LXXXVI. Hinc tertiò, duplicem distinguere debes assistentiam DEI, ut authoris supernaturalis: unam ordinariam, quæ defacto datur, quatenus videlicet concurrit ad actum supernaturalem, & creaturæ largitur comprincipium intrinsecum supernaturale, ut connaturalius operetur; alteram extraordinariam, & ut ita dicam, supersupernaturalem consistentem in eo, quod DEUS se solo absquè adjutorio supernaturali creato adjuvet creaturam ad actum supernaturalem, quæ assistentia, & est supernaturalis, cum effectus supernaturalis sit, & est supra naturam hujus supernaturalis, siquidem hic effectus connaturaliter procedere debet ex adjutorio creato inhærente creaturæ, connaturalitate autem alludente, non ad effectum ipsum, sive ad potentiam naturalem; sed alludente ad ipsum adjutorium supernaturale, quod, utpote accidens entitativum, connaturaliter inhæret subjecto alicui. Hæc secunda assistentia DEI, ut authoris supernaturalis, non autem illa prima, est, quam dicimus supplere absentiam luminis gloriæ, & hæc secunda non datur defacto, ut constat: Ergò non habetur, quod defacto suppleatur absentia luminis gloriæ. Ubi similiter notabis, non admitti hoc lumen ex eo solo titulo, quod visio sit supernaturalis, nam talis etiam foret, si daretur ea secunda assistentia; sed ex eo quod aliundè probatur authoritate & ratione, existentia luminis gloriæ, analogiâ sumpta ex operationibus naturalibus, quas causæ plerumquè producunt per virtutem creatam sibi intrinsecam, & permanentem. Hinc quartò, attento mero præciso titulo juvandi potentiam naturalem, non erat necessarium, quod gratia auxilians præveniens, & excitans esset illi intrinseca; nam defacto adjuvat Omnipotentia omnes causas creatas, quin illis sit intrinseca per identitatem,

aut unionem. Verumtamen absolutè, & omnibus pensatis, debet esse intrinseca homini, tum ob rationem, quæ communis est gratiæ excitanti, & sanctificanti, nempè quiâ ambæ sunt accidens; Ergò suaptè natura debent inhærere alicui subjecto; nullum autem magis idoneum, quam illud, quod una prævenit, & altera sanctificat: Tum ob rationem specialem gratiæ prævenienti, & excitanti: quoniam hæc consistit in actu intellectus, aut voluntatis, & uterlibet utpote actus immanens, & vitalis, debet esse intrinsecè receptus in potentia sibi proportionata. Et quamquam Deus gratiam donans habeat pro fine subvenire humanæ infirmitati juxtà Augustinum, non tamen quomodolibet, sed modo proportionato naturis rerum; Ergo uniendo intrinsecè potentiæ naturali, hæc accidentia, quia hæc unio est modus proportionatus illis: ergò quod hæc sint intrinseca potentiæ naturali non est superfluum absolutè, nec adhuc attento fine, quem habet Deus, ut ex nostra sententia inferre conatur Godoy.

CAPUT Ultimum.
Tres aliæ Quæstiones.

LXXXVII. PRima est: An lumen essentiale gloriæ in potentiis inæqualibus, inæqualem efficiat visionem DEI? Eadem difficultas est de cæteris comprincipiis supernaturalibus. Igitur, cum potentia intellectiva & volitiva angelica, sit longè perfectior entitativè, quam humana, non solum physicè quoad alia, verum etiam formaliter in sphæra intelligendi, & volendi (sunt namquè Angeli, & perspicacissimi in cognoscendo, & immobiles suo modo in volendo, aut nolendo) disputant Theologi, num intellectus angelicus adjutus lumine gloriæ intenso ut octo v.g. (hoc lumen suscipit magis, & minus, & non est æquale in omnibus beatis) eliciat perfectiorem visionem DEI, quam intellectus humanus adjutus lumine etiam ut octo: & num voluntas Angelica corroborata per habitum charitatis, aut quodvis aliud adjutorium supernaturale intensum ut duo, eliciat perfectiorem actum charitatis, quam voluntas humana adjuta per similem habitum, & similiter expedita ab aliis difficultatibus. Explicui hanc difficultatem in Prodromo Disp. 2. n. 23. Vide quæ ibi dixi fusius. Ex illis dico nunc, quando adjutorium supernaturale est æquale, potentia entitativè perfectior elicit actum charitatis, aut visionis Dei perfectiorem physicè, entitativè, ac materialiter; secus Theologicè, ac formaliter in ratione actus charitatis, aut visionis, id est, elicit actum magis perfectum entitativè, sed non magis intensum. Ratio primæ partis est: Omnis actio, quæ per suam essentiam habet nasci ex nobiliore principio, per suam essentiam est nobilior, cæteris paribus, in consideratione philosophica: Sicut enim in Republica Civili accrescit nobilitas filiis ex nobilitate parentum, ita in consideratione physicorum accrescit entitativa perfectio actionibus ex perfectione principii cæteris paribus: aliquid namquè est, esse talis conditionis, ut nonnisi ex tali speciali nobiliore principio descendere queat. At omnis actio hic, & nunc procedens ex potentia angelica, sivè intellectiva, sivè volitiva, per suam essentiam habet procedere ab illa, nè abeamus in infinitum actionum reflexarum, & hæc potentia angelica per semetipsam habet, esse perfectiorem humanâ. Ergò omnis illa actio est physicè entitativè, ac in consideratione philosophica perfectior cæteris paribus, quam actio procedens ex potentia humana. Hac de causâ dicere solent Philosophi. *Quò perfectior est potentia, eo perfectiores eliciet operationes*, nempè cæteris paribus, & perfectiores physicè, & entitativè.

LXXXVIII. Ratio secundæ partis est. Tum quiâ licet potentia Angelica naturalis, id est in ordine ad intellectiones, & amores naturales, sit perfectior, quam humana; potentia tamen obedientialis, id est in ordine ad effecta supernaturalia, non est perfectior, sed æqualis prorsus humanæ, quia tam cæcus, & improportionatus est Angelus secundum se inspectus ad visionem intuitivam Dei, quam homo: ea namquè visio non minus est supernaturalis illi, quam huic: Sicut potentia visiva lincea, licet acutior humanâ, & potentia auditiva apri promptior humanâ, tam impro-